



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

38. Quis noluit lucrari lubilæum, & in secunda hebdomada, die Sabbatho, à Deo inspiratus mutat propositum, quæritur, an possit absolvi à reservatis, & lucrari lubilæum? Et an si aliquis omnia opera ...
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)

amicissimum P. Naldum in summ. ver. Indulgentia, n. 14. ubi sic ait: Indulgentiam Iubilaei consecutus possit partem tantum operum implere in prima hebdomada, & partem in secunda, solet plerumque ambigi, quod & tunc contingit occasione praesentis Iubilaei, in quo dicitur (opera quaedam esse praestanda in 4. & 6. feria, & Sabbato eiusdem; vel sequentis hebdomadae) & cum contrariae de hoc essent opiniones Doctorum, nouissime consulti Patres sacrae Penitentiariae Romanae responderunt pro parte affirmatiua nempe posse partem operum impleri in prima hebdomada, & partem in secunda, & hoc procedit ex sola penitentis libera voluntate, & absque vlla Confessarij legitima concessione obtenta, id est, absque alia speciali causa prorogationis per Confessarium approbata, ita enim innuunt verba superius posita in hoc Iubilaeo anno 1620. sic etiam declaratum fuit in prorogatione eiusdem Iubilaei Romae facta pro 3. hebdomada lingua Italica, & haec mihi testatus est Illustr. & Reuer. D. Gypsius. Episcopus Arimin. modernus Urbis Gubernator vigilantissimus, suis ad me literis sub dat. Romae die 7. Martij anni praedicti, qui sane dignissimus Praeful paucis post annis interiectis Cardinalatus honore decoratus fuit. Ita Naldus ubi supr. a.

RESOL. XXXVIII.

Quis noluisset lucrari Iubilaeum, & in secunda hebdomada die sabbatho à Deo inspiratus mutarè propositum; quaritur, an possit absolui à reueruatis, & lucrari Iubilaeum? Et an si aliquis omnia opera iniuncta pro consequendo Iubilaeo fecisset, & mane die Dominico vellet confiteri, & sacram Eucharistiam sumere, sed inaduertenter, & incuria aliquid cibi deglutit, vel bibit, an, hoc non obstante, possit lucrari Iubilaeum, & absolui à reueruatis; vel in dicto casu quid est faciendum? Ex part. 3. tr. 4. Ref. 151. alias 152.

Sup. contentis in hoc §. sup. in Ref. 25. & 26. & in Ref. 32. §. Dico quarto, &c. & inf. in Ref. sequentis doct. &c.

§. 1. Respondeo affirmatiue dummodo commutentur ieiunia in communionem, nam elemosynam, visitationem, & orationem, potest facere die Dominico. Ratio est, quia iam tempore debito confitetur, non enim obligatus erat confiteri ante Sabbatum, nam poterat mane die Dominico, & in tali casu cum ipso proceditur, ac si fuisset impotens ad ieiunium. Et ita docent Lauorius de Iubilaeo, part. 1. capit. 21. num. 53. & Sanctarellus de Iubilaeo, cap. 7. dubitat. 1. licet penes ipsum Pinellus, & Sanchez contrarium teneant.

Pro contentis hoc §. vlt. inf. in tribus vltimis lra. Ref. 52.

2. Sed quaeret quis hic obiter, an si aliquis omnia opera iniuncta pro consequendo Iubilaeo fecisset, & mane die Dominico vellet confiteri, & sacram Eucharistiam sumere, sed inaduertenter, & incuria aliquid cibi deglutit, vel bibit, an hoc non obstante, possit lucrari Iubilaeum, & à reueruatis absolui? Respondeo affirmatiue, nam in tali casu Confessarius potest communionem, quam tenebatur facere in aliud opus pium commutare, & ita docet Sanctarellus de Iubilaeo, cap. 7. dub. 1. Graffius in append. lib. 2. c. 5. n. 50. & Henriquez lib. 7. cap. 10. n. 8. in fine.

RESOL. XXXIX.

In ultimo Iubilaeo Pauli VII. Pontificis Maximi fuit orta magna dissensio inter Theologos, an qui die Dominico confitetur, suis faceret Iubilaeum? Ex part. 2. tract. 15. & Misc. 1. Ref. 28.

Quoad hoc sup. ex Ref.

§. 1. Reuerendissimus simul & doctissimus Dominus D. Franciscus de la Riba Vicarius Gene-

ralis Illustrissimi Cardinalis ab Auria Archiepiscopi subtiliter & solide, vt in omnibus semper solet, negatiuam sententiam sustinebat, & licet tunc pro illius opinione, rationes inueniebam, non autem auctores; tandem inueni illam sententiam docere Filliuc. in quaest. moral. tom. 1. tract. 8. cap. 10. n. 272. ubi respondens ad nostrum quaesitum, ait: Fertur Clem. VIII. de hoc interrogatum respondisse non satisfacere, & vigore sui Iubilaei non posse penitentem absolui à reueruatis in die Dominico vnde expirabit quoad hanc facultatem, media nocte Sabbathi. Concessit tamen Penitentiariis S. Petri, vt absoluerent etiam die Dominico, quod etiam fertur praetissime Innocent. IX. cuidam Episcopo idem petenti. Itaque de rigore textus, confessio debet fieri ante diem Dominicum, dicitur enim intra hoc tempus primae, scilicet, vel secundae hebdomadae confiteantur, & Dominica prima, vel secunda sumant Eucharistiam. In die Dominico tamen quo solet promulgari, non videtur dubium, confessionem in illo factam valere à tempore post publicationem. Haec Filliuc. & hanc sententiam docet etiam Portel in dubiis, Regularium, tom. 1. ver. indulgentia num. 6. & inclinat noster Alphonsus de Leone tract. de Iubilaeo, p. 1. sect. 4. n. 161.

2. Attamen tunc sustinui, & nunc etiam teneo contrariam sententiam esse probabilem, quam docet, & tenet multis citatis, Sebastianus Aosta in expos. Bull. Cruc. q. 14. dub. 3. ubi asserit. Dubitatur tertio, vtrum in aliquibus Iubilaeis, quae confessionem intra hebdomadam requirunt, satis sit die Dominica confiteri? Cui dubitationi affirmatiue respondendum existimo cum Soto dist. 21. quaest. 2. art. 3. Nauar. notab. 19. num. 19. Henriquez c. 10. §. 8. Rodriguez §. 2. dub. 5. asserente ita vix vocis oraculo declaratum fuisse ad instantiam PP. Societatis Iesv, à Pio V. Sed cum ego rem inuestigarem, accipi ab eisdem Societ. P. P. non à Pio V. sed à Greg. XIII. hanc declarationem emanasse Anno Domini 1578. mensis Maij die 10. hanc rationem reddente. Quoniam dies Dominica habetur pro complemento hebdomadae transactae, in quo ieiunatum est. Ita Aosta, & post illum docet etiam hanc sententiam Reginald. in praxi, tom. 1. lib. 3. cap. 21. n. 173. Villalobos in sum. tom. 1. tr. 26. dub. 11. n. 17. Sanctarellus de Iubilaeo, cap. 6. dub. 1. Bonacina de Sacram. disp. 6. q. 1. punct. 5. n. 34. Sa ver. Indulgentia, n. 13. Vega in sum. tom. 2. cap. 7. cas. 5. & noster P. Moltes. in sum. tom. 2. tr. 7. n. 43. & ita etiam multi viri docti nostrae Religionis, & Societatis Iesv, à me de hac re consulti.

RESOL. XL.

Qui in die Sabbathi accessit ad confitendum, sed ob negatiuam temporis Confessarius distulit confessionem post transactum Iubilaeum; quaritur, an possit absolui à reueruatis post tempus elapsi Iubilaei commissa? Ex part. 3. tract. 4. Ref. 146. alias 147.

§. 1. In tali casu Confessarius penitentem à censuris absoluat, & reueruacionem casum, & votorum tollat; absolutionem vero à peccatis differat, & vota postea elapso illo Iubilaei spatio, confessionem peccatorum audiat, & penitentem absoluat, & vota commutet; cum illa peccata, & vota praeterita amplius non sint reueruata. Ita Henriquez lib. 7. cap. 1. n. 3. Sanchez de matrim. lib. 8. disp. 15. num. 17. Emanuel Sa ver. Indulgentia, n. 14. & alij.

2. Difficultas est, si talis post elapsum tempus Iubilaei in nouos casus reueruatos incidit, an poterit absolui? hunc casum non apud multos inuenies; amicissimus Sanctarellus de Iubil. c. 8. dub. 7. & Alphonsus de Iubilaeo, part. 2. q. 16. num. 189. negatiuam sententiam docent;